



The Holy See

IOANNES PP. XXIII

EPISTULA CAROLUM MARIAM

TIT. S. MARIAE IN AQUIRO

S. R. E. PRESB. CARDINALEM DE LA TORRE,

ARCHIEPISCOPUM QUITENSEM,

QUINQUAGESIMO A SUSCEPTO EPISCOPATU

EXEUNTE ANNO LAETI LAETUM* *Dilecte Fili Noster,*

salutem et Apostolicam Benedictionem. Laeti laetum nuntium accepimus: quinquagesimam propediem anniversariam celebrabis memoriam illius diei semper tibi recolendi, quo Episcopus consecratus es, a Sanctissimo Decessore Nostro Pio X huius nominationis nactus honorem. Quemadmodum tam felicitatis eventus ratio poscit, clerus populusque archidioecesis Quitensis festivi et gratulabundi te, sollertem sacrum pastorem, circumstabunt, atque certatim Deo tecum gratiarum actiones persolvent, propterea quod longum a te emensum vitae spatium munifica largitate supernis donis conspersit. Quae pia gaudia ut spirituali quadam praesentia Nostra adaugeamus, tibi, Dilecte Fili Noster, hasce Litteras libenter mittimus, per quas tibi de fructuosa vitae usura et de sacro munere alacriter gesto gratulamur, dum flagrantia vota, quaeque sunt salutaria, optabilia, fausta adprecantia, imo e pectore promimus. Peractos reminisci labores in iis dioecesibus, quae moderationi tuae commissae sunt et inde opimum fructum, qui, caelesti favente gratia, maturuit, suave tibi procul dubio erit. Enimvero in Lojana, Rivibambensi, Guayaquilensi ecclesiasticis ditionibus ac nunc in Quitensi archidioecesi, cui iam diu praees, pietatis, diligentiae, industriae praeclara dedisti specimina. Tua praecipua laus est quod ipse, doctrinae varia suppellectile et eloquentiae copia praeditus, christianis veritatibus et praeceptis Christi oves, quibus salutaria pascua comparas, erudivisti, quod sacro-sancta Ecclesiae iura strenue tutatus es, et Actionem catholicam et socialem provexisti. Tua fuit apprime spectabilis cura, ut probe et apte adulescentes instituerentur. Scholas et ephebea catholica patere istuc iussisti, et ista in urbe, Equatorianae Reipublicae capite, Catholicam studiorum Universitatem condidisti, in qua quidem ut rei religiosae et rei civilis emolumentum et decus magis magisque progrediantur, fulgentissimum spei sidus collucet. Dato hoc memorandi eventus tempore, a Deo solacia et auxilia praesentissima supplicibus votis tibi deposcimus ut malori usque profectui gregis tui prospiciens recta semper mediteris, salutarla fidenti erectoque animo perficias, et ideo novis meritis abunde diteris. Ut autem quinquagesimus episcopatus tui natalis uberiore spirituali fructu sit, id tibi facultatis facimus, ut, postquam sollempni ritu sacris operatus fueris, Nostro nomine Nostraque auctoritate adstantibus christifidelibus benedicas, Indulgentia plenaria rite proposita. Tibi denique, Venerabilis Frater, sollerti Antistiti Auxiliari tuo, gregique universo, cui sacer pastor consulis, Apostolicam Benedictionem, praecipuae caritatis Nostrae pignus, peramanter impertimus. « Oboedientia et pax » evangelicae sapientiae plena verba, quae tui stemmatis figura aeque olim ac in Nostro insculpta collucet, fragrantia exprimunt vota, quae hac peculiari

Apostolica Benedictione confirmantur, verae felicitatis tibi tutissimum iter. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die V mensis Aprilis anno MCMLXII, Pontificatus Nostri quarto.* **IOANNES PP.**

XXIII

*A.A.S., vol. LIV (1962), n. 7, pp. 385-386.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana